



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

IX. Misera scriptoris annalium Massiliensium conjectura, qui ex hac inscriptione collegit Rusticum fuisse Episcopum Massiliensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

VII. Ex hac explicatione patet hoc Narbonensis Ecclesie recenter à Rustico constructæ limen conlocatum esse anno quarto Consule Valentiniano Augusto sextum, ut in fronte inscriptionis legitur, hoc est, anno quadringentesimo quadragésimo octavo. Anno quippe CDXLV. Valentinianus III. iniiit sextum consulatum. Itaque annus ille fuit primus sexti consulatus Valentiniani. Annos namque ab ultimo consulatu primum, secundum, tertium, &c. numerabant, quousque rursus capessent consulatum, ut patet ex antiquis Inscriptionibus. Cum ergo inter sextum consulatum Valentiniani, qui in annum CDXLV. incidit, usque ad septimum ejusdem consulatum, quem anno CDL. notatum reperimus, intercitant quinque anni integri, annusque CDXLVII. quartum omnino locum inter illos obtineat, necessarium cogimur existimare limen hoc conlocatum fuisse anno eodem quadringentesimo quadragésimo octavo.

VIII. Calculus ille chronologicus in primis necessarius erat, ut deinde facilius invenire possemus annum & diem quo Rusticus factus est Episcopus Narbonensis. Nam si anno quarto sexti consulatus Valentiniani agebatur annus decimus nonus episcopatus Rustici, consequens est ut affirmemus initia sedis ejus incidere in annum CDXXX. à quo usque ad annum CDXLVII. numerantur omnino anni decem & novem. Atque id quidem satis manifestum est. Diem verò ordinationis ejus, in quo tota difficultas versatur, eruimus è difficiliore loco totius Inscriptionis, nimirum è linea illa singulari D in linea quinta primæ columnæ, ubi scriptum est: ANNO. XV. EPTVS. SVI. D. ANN. V. III. ID. OCTB. Linea illa multorum ingenia torfit divinare conantium. Tandem nos ejus sensum assecuti sumus ex Inscriptione ejusdem ævi quæ Narbone legitur in prægrandi fragmento columnæ rotundæ in Ecclesia sanctæ Mariæ majoris, sub altari sancti Petri, in qua sic scriptum est:

ANNO. XVII. EPISCPT. RVSTICI ANNI. DIE. CC. LXVI. KL. IVLII.

Si parva hæc inscriptio componatur cum superiore, nullo negotio divinabimus quid per litteram illam singularem D & sequentes litteras intellexerit sculptor. Etenim si Kalendis Iuliis agebatur dies ducentésimus sexagesimus sextus anni decimi septimi episcopatus Rustici, dubitari non potest quin dies ordinationis ejus incidat in diem VII. Idus Octobris, à qua die usque ad Kalendas Iulias, ipsius Kalendis annumeratis, inveniuntur

omnino CCLXVI. dies integri. Idem sensus est superioris Inscriptionis, cujus quintam lineam sic reddimus: Anno XV. episcopatus sui, die anni quinta, tertio Idus Octobris. Dies enim quinta decimiquinti anni episcopatus Rustici, si initium ipsius ponatur die nona Octobris, incidit omnino in diem tertiam ante Idus Octobris.

IX. Admiror verò scriptorem Annalium Massiliensium: qui cum Rusticum hunc Episcopum Massiliensem fuisse sibi persuasisset, atque adeo diversum eum esse à Narbonensi, id demum probare se putavit auctoritate hujus nostræ Inscriptionis. Ceterum ex iis quæ dicta huc usque de illo sunt facile colligi potest errare eos qui scribunt illum ad cathedram Narbonensem evectum esse anno quadringentesimo vigésimo septimo.

CAPVT XXXIV.

Synopsis.

I. Hilarus Papa, qui Leoni successit, literas de ordinatione sua misit ad Leontium Episcopum Arelatensem, in quibus agnoscebat auctoritatem primi Metropolitanæ Galliarum in Leontio. Eodem tempore Leontius Hilarum putavit instruendum ac monendum uti custodiret canones. Quod ille pollicitus est.

II. Aliis literis Leontius Hilaro gratulatus est pontificatum, similique postulavit confirmationem privilegiorum Ecclesie Arelatensis. Ex verbis ejus colligitur privilegia quæ tribuebantur Episcopo, intelligi debere data esse Ecclesie.

III. Primi Galliarum Metropolitanæ dignitatem in Leontio agnovit idem Hilarus in causa Hermetis Episcopi Biterrensis, qui transferat ad Narbonensem Monarchie nomen in rebus ecclesiasticis non est semper invidiosum.

IV. Hermes fuerat Archidiaconus Rustici Episcopi Narbonensis, & ab eo ordinatus Episcopus Biterrensis. Non susceptus verò à Biterrensis, ad Narbonensem Ecclesiam tum Rustici morte vacuum transit. Hanc translationem aliqui turbare conantur, missa legatione ad Hilarum Papam. Is verò Leontium redarguit quod eam translationem non impedivisset. Tum Hermes adimit jus ordinationum Episcoporum prima Narbonensis.

V. Intra quatuor & quadraginta annos variè se gesserunt Romani Pontifices in eadem facti specie. Quod ostenditur per comparationem cause Hermetis cum causa Perigenis Episcopi Corinthiensis.

VI. Quandam veteris translationes, quandam verò permisse. Hilarus Hermetem non removit ab Ecclesia Narbonensi, sed adimit illi potestatem ordinandi Episcopos sue provincie. Continuat comparatio inter Hermetem & Perigenem.

VII. Hilarus Leontio facultatem tribuit congregandi Concilia generalia, prudentissimo consilio, quod id mallet videri usurpatum per delegationem sedis apostolicæ quàm propria auctoritate Leontii.

VIII. His synodis Hilarus reliquit integram cau-